XIIII D[e] ... Micha ... / ... Dan in sacerdotio idoli.
XV U[...] ... nefas.

EXPLICIUNT CAPITULA EPTATICE
DE SEPTEM LIBROS

INCIPIT SOPTHIM QUOD EST LIBER IUDICUM

POST MORTEM IOSUE
consuluerunt filii
Israhel dominum dicentes: quis
ascendet ante nos contra
chananeum, et erit dux belli. Dixitque dominus:
Iudas ascendet. Ecce tradidi terram in manus eius.
Et ait Iudas Symeoni fratri suo: Ascende
mecum in sortem meam, et pugna contra
chananeum, ut et ego pergam tecum
in sortem tuam. Et abiit cum eo Symeon.
Ascenditque Iudas et tradidit dominus
chananeum ac pherezeum in manus
eorum, et percusserunt in Bezec decem
milia uirorum. Inueneruntque
adonibezec in Bezec, et pugnauerunt
contra eum, ac percusserunt chana-
neum ac pherezeum. Fugit autem
adonibezec; quem sequuti con-
prehenderunt, caesis summitatibus
manuum eius ac pedum.
Dixitque adonibezec:

septuaginta reges amputatis manuum ac pedum
summitatibus colligebant sub mensa mea
ciborum reliquias. Sicut feci, ita
reddidit mihi deus. Adduxeruntque eum in Hierusalem,
et ibi mortuus est. Obpugnantes ergo filii
Iuda Hierusalem ceperunt eam, et percusserunt
in ore gladii, tradentes cunctam incendio ciui-
tatem. Et postea descendentes pugnauerunt
contra chananeum, qui habitabat in mon-
tanis et ad meridiem et in campestribus.
Pergensque Iudas contra chananeum qui habi-
tabat in Hebron, cuius nomen fuit antiquitus
Chariatharbe, percussit Sesai et Achiman
et Tolmai. Atque inde profectus abiit ad
habitatores Dabir, cuius nomen uetus erat
Cariath sepher, id est ciuitas litterarum.
Dixitque Chaleb: qui percusserit Cariath sepher
et uastauerit eam, dabo ei Axam filiam meam
uxorem. Cumque cepisset eam Othoniel
filius Cenez frater Chaleb minor, dedit ei filiam
suam coniugem. Quam pergentem in itinere
monuit uir suus ut peteret a patre suo agrum.
Quae cum suspirasset sedens in asino, dixit ei
Chaleb: quid habes? At illa respondit: Da mihi
benedictionem, quia terram arentem dedisti
mihi; da et inriguam aquis. Dedit ergo ei
Chaleb inriguum superius et inriguum inferius.
Filii autem Cinei cognati Moysi ascenderunt
de ciuitate palmarum cum filiis Iuda in
desertum sortis eius, quod est ad meridiem Arath,
et habitauerunt cum eo. Abiit autem Iudas
cum Symeone fratre suo, et percusserunt simul
chananeum qui habitabat in Sepath, et in-
terfecerunt eum. Uocatumque est nomen urbis
Horma, id est anathema. Cepitque Iudas Gazam
cum finibus suis, et Ascalonem atque Accaron
cum terminis suis. Fuitque dominus cum Iuda,
et montana possedit, nec potuit delere
habitatores uallis, quia falcatis curribus
abundabant. Dederuntque Chaleb Hebron
sicut dixerat Moyses, qui deleuit ex ea
tres filios Enac. Iebuseum autem habitatorem
Hierusalem non deleuerunt filii Beniamin.
Habitauitque Iebuseus cum filiis Beniamin in
Hierusalem usque in praesentem diem. Domus quoque
Ioseph ascendit in Bethel, fuitque dominus cum eis.
Nam cum obsiderent urbem quae prius Luza
uocabatur, uiderunt hominem egredientem
de ciuitate, dixeruntque ad eum: Ostende
nobis introitum ciuitatis, et faciemus tecum
misericordiam. Qui cum ostendisset eis, percusserunt